











1710.

16. Hrykies, Fr. Samuel: De causis juramentorum suppletorium respectu  
liber.

17. Hrykies, Fr. Samuel: Reabsoluto per sententiam injustam et  
effectus libelli non obligatio 2 Sampl. 1706 & 1745

18. Hrykies, Fr. Samuel: De mora iudicis

19. Hrykies, Fr. Samuel: De voto non promissa, non praestanda.  
3 Sampl. 1710 & 1742

20. Hrykies, Fr. Samuel: De natura sponsalium et revocatione  
2 Sampl. 1710 & 1738.

21. Hrykies, Fr. Samuel: De origine et usu juris dictiois eccle-  
siasticae.

22. Hrykies, Fr. Samuel: De cautelis circa quantificationem  
in controversae in processu civili observantis

23. Hrykies, Fr. Samuel: De praesumptione <sup>crip.</sup> rerum per mare  
volatorem secundum statuta Hamburgensia.


24. Hrykies, Fr. Samuel: De qualitate et jure personarum  
matrimoniorum contrahentium





- 25<sup>o</sup> Strickius, Jo. Samuel: De officio principis circa  
scandala.
- 25<sup>o</sup> Strickius Joanes Samuel: De officio principis circa  
scandala. 3 A. 2. 1717.
26. Thomarius, Christianus: . . . . Fac. jus ordinarius: Capitalium  
legum juramentum lectiones publicas . . . et privatas . . .  
indicit
- 27<sup>o</sup> Thomarius, Christianus: De natura procerum jurisdictionum.  
3 Saupl. 1780: 1728.
- 28<sup>o</sup> Thomarius, Christianus: De originibus feudatibus
- 28<sup>o</sup> Thomarius, Christianus: De originibus feudatibus.  
Rec. 1749.
- 29<sup>o</sup> Thomarius, Christianus: De felonia domini. 2 Saupl.





I

11

In

rs

l



*[Faint, illegible handwriting in blue ink, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

I  
D  
P  
D  
ME  
DN  
Sun





DEO TRINUNO AUSPICE!  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

**FUNDAMENTO  
MORALITATIS PER-  
SONALIS IN SANGVINE,**

*QUAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI  
GUBERNATORE, RELIQUA,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.  
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. P. C.  
DECANI SPECTATISSIMI,  
DN. PATRONI ET PROMOTORIS SUI, OMNI HONORIS  
*ac observantia Cultu et atem devenerundi,*

**PRO DOCTORIS GRADU,**

Summisque in MEDICINA HONORIBUS, Insignibus, ac Privile-  
giis rite & legitimè consequendis,  
IN AUDITORIO MAJORI,

D. *Julii M DCC X. horis ante & pomeridianis*  
Publicæ Eruditorum ventilationi exponit

**M. Braugott DITTRICUS WAGNER,**

CAMERT. HEXAPOL. *III. 2. 4. 1. 39*

HALÆ MAGDEB. Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.









## PROEMIUM.



**U**T in omnibus rebus humanis, quæcunque multò plus intellectus, quam magis nudorum sensuum, examen postulant, ita multiplex est difficultas atque implicatio, ut, nisi optimè exercitatum ingenium, frustra circa illas impendat suas vires: Ita nihilo secius fateri etiam omninò necessum est, quod sæpenumerò, & quidem circa insignem numerum talium rerum, nihilosciscius univèrsa ratio humana, magis contenta esse cogatur, maximâ verisimilitudine, quàm certa atque undique firma, quam demonstrativam vocant, certitudine. Illud, quod solatium adversus hujusmodi defectum præbere, imò efficacissimè suadere, possit, est illud, quod etiam ipsa, si vel exquisitissima obtingere posset scientia atque perfectâ notitia, illarum plurimarum, nisi quidem potiùs omnium, talium rerum, quæ cognitionem humanam ita subterfugiunt, adeo parvam utilitatem homini præbere posset; Et consequentèr etiam ignorantia earum, tam exiguum damnum necessitatibus humanis objicere, ut propterea etiam ignorantia earundem,



tanto minus odiosa esse possit, quanto magis otiosa futura videretur quantalibet illarum noticia. Quia tamen quantacunque utique contemplatio illarum rerum naturalium, quarum habitum & oeconomiam sapientia conditoris & conservatoris mirifici, inenarrabili modo & mensura adornavit & instruxit, non potest nisi exhalare & jucunditate perfundere mentem humanam; Unde etiam egregium hujus rei specimen velut absolute inditum humano ingenio deprehendimus, in eo, quod homines etiam nullo usquam insigni apparatu rationationis adhuc utentes, adeoque intimioris cujuscunque conditionis atque constitutionis admirandorum talium operum imperiti & velut ignari, tamen quicquid ejus vel in ipsos sensus incurrit, non tam nomine quam affectu vero mentis, pulchri, jucundi, grati, splendidi, magnifici, admirandi, incomparabilis, &c. repeto, non tam notionibus, quam æstimationibus, observent & peculiariter notent, imo ita ipso animo complectantur: Et hoc ipsum etiam omni modo justum & æquum reputari mereatur. Eo ipso tamen alienum utique à sanæ rationis moderatione habendum est, circa talium rerum probabiliores fiendi & essendi rationes, non solum cum contentione, sed immodesta illa etiam, & à morum honestate aliena, altercatione magis, quam disceptatione, litigare: Nempe absurdam ambitionem, res vel nunquam absoluta perspicuitate determinandas, sui intellectus viribus absolvendi atque decernendi, hoc ipso ostendendo. Sicut enim apprime utilia, tanto magis autem verè necessaria, non solum serio, sed omnino etiam severo, studio, tam inquirere, quam exigere, omnino justum & æquum haberi mereatur; Pervertitur ta-



tamen certè ordo, harum rerum, si ad nullum alium insignem Usum, quàm iucunditatem atque oblectationem profuturae contemplationes, censoria gravitate exigat, aut affectata severitate, quid de illis magis credendum sit quàm statuendum, præcipiatur. Non frustra hæc præfamur, postquam animo proposuimus ejusmodi Theorema perlustrare, quod, si nihil aliud, ad minimum veritatem insignem circa Oeconomiam humanæ indolis, fundamento habere, imò illud illustrare possit: Licet de reliquo neque ita absoluta demonstratione, ad infallibilis sententiæ dignitatem extolli possit: Nec tamen etiam, si vel maxime difficultatibus quibuscunque adhuc premi videretur, propterea quodecunque detrimentum rebus humanis objicere possit. Nedum, quod tamen, quamdiu de probabilitatis eximiæ dignitate, de jici non potest, usum etiam præbeat non contemnendum, ad meliorem perceptionem plurium, neque postremarum quidem sed potius præcipuarum Oeconomix humanæ varietatum & mutationum. Placet autem ita moderatè loqui, ne, ut incontinentior ordinariè est, immodestia offendiculum objiciamus: Cum alioquin, potius veritatem, quanta unquam in rebus humanis per ordinatas ratiocinationes decerni potest, huic nostræ considerationis subjecto asserere, minimè dubitare deberemus. Sumus autem acturi de ordine atque progressu MORALIUM INTENTIONUM, ex habitu PHYSICO MECHANICO in corpore humano, seu vitalium proportionum; Quam rem lemmate magis seu titulo, ut loquuntur, quàm tractatione solertiore, jam pridem inuit Galenus, dum historiæ morositatis iracundæ, matris sue, inscriptionem præfixit:



xit: Quod mores animi sequantur temperamentum corporis: Quam quidem rem, ut certe à medica consideratione minime alienam, Thematis Inauguralis loco enucleandam sumere jus fasque nobis esse duximus, sicut hujus asserti rationem, e rei hujus commonstrando Ufu, abundè reddituros nos esse, confidimus.

DEUS autem ter optimus Maximus, ut qualiscunque noster labor non sterilis evadat, & sine omni Ufu in irritum cadat, uti potest, ita etiam velit & efficiat, venerabundi exoramus.

Th. I.



Um propositum nostrum sit, de mutuo illo Nexu sermonem instituere, qui inter *animi & corporis habitus*, sub *corporis sensibilibus* quibusdam *differentiis*, sese exerere, & solerti observationi veluti offerre solet; erit sine dubio operæ pretium, ut mox ab ipso limine, conspectum quasi quendam pandamus, qui præcipuorum totius hujus negotii phænomenon, repræsentationem aliquam, & veluti generalem ideam, præbere possit. Erit itaque primum hujus contemplationis objectum, brevis, hoc quidem adhuc loco generalis, commemoratio rei ipsius, ut in facto se habet: Quæ nempe in eo consistit, I. quod homines, secundum aliquas certas *proportiones corporis* sui, etiam certas, & quadantenus proprias, exhibeant *animi propensiones*. II. Quod hæc diversitas tam *proportionis corporis*, quam *propensionum animi*, non æquè aded *multiplici*, numero aut modo, discrepet; Sed veriùs sub *quadruplici* differentia comprehendi possit. III. Nec etiam æquè planè singulares, aut *minutas* quaslibet, animi inclinationes concernat; Sed magis generaliores veluti, *actionum, suscipiendarum, & ordinandarum, intentiones* atque *methodicas*. Harum



rum rerum, IV. si postea propior diversitas, ut *singularium* seorsim, expendatur, poterit inde dilucescere, *quadruplex* imprimis discrimen, quod inter hasce constitutiones intercedit; Simulque V. observari, quodnam præcipuum momentum *differentiarum* harum in considerationem venire mereatur, imò illam veluti sponte ad sese vocet: cum quâ, si, comparetur etiam illud, quod proprie in ipso *animo*, tanquam verum *objectum*, (aut *subiectum* certo respectu,) *differentie* talis per individua, constituit, poterit inde nullo quasi negotio, VI. dilucescere, quod hoc ipsum *subiectum* diversitatis, in Oeconomiam corporis *ut Vivi*, sit unum itemque, eum illo, de quo modò diximus, quod in ipso etiam *animo* diversitates tales subeat. Eâ solâ sub distinctione, quod *corporea* illa constitutio, has diversitates præ se ferat in ordine ad subeundum, seu *passivè* recipiendum, certum actum: In *animo* verò, hæc ita inducta diversa *inclinatio*, occupetur circa *activitatem* ipsam, seu proportionem ad *promtè* agendum, & actionem certo *ordine* persequendum. Ubi etiam occasio patet, quantum modo temporis ratio permiserit, etiam de *reciproco* obsequio corporis, ad *temporarios* quasdam, cum *impetu* aliquo efformatas, peculiare proportionem *intentionum* animi; Quas vulgò *animi Pathemata* appellant. Ultimo verò loco, opportunum, ut speramus, erit, *Usus* etiam harum rerum, si non æquè absolute, aut eximie, *Medicum*, *Therapeuticum*, tamen *historico - Pathologicum*, & *quadantenus Prorrheticum*, indicare.

Th. II.

*PRIMUM* omnium allegatorum quod attinet, est res jam in vulgus notissima, quod alii homines *alacriores*, *hilariores*, aspectu ipso atque gestu *liberiores*, *placidiore*s, atque *humaniores*: In actionibus suis *sedatior*es, *securiores*, *opportunitatis* amantiores, imò *commoditatis*; Alii ex adverso *immoderatiores*, moræ impatientes, ad agendum & in agendo *festinantes* & *præproperi*, imò per oblata-

OCS



occasiones ad *precipitantiam* usque promti, *acriores*, *inqui-*  
*etiores*, *audentiores*, & negotii semper quàm otii magis appe-  
 tentes: neque tàm ulli *sollicitudini*, quàm *impatentiæ* potius  
 & *iracundiæ* faventes, imò denique plus propemodum *levi-*  
*tati*, & *aspernabundæ oblivioni* tribuentes, quam eximix &  
 constanti *avertentiæ*: Alii iterùm, *agiles* fatis, & *laboris* pa-  
 tientes, non tamen æque ejusdem amantes; Interim in eo,  
 quod suscipiendum duxerunt, *assidui*, *fatigantes* rerum su-  
 arum, sed non sine *sollicitudine*, imò cum *metu* atque *dissiden-*  
*tiâ*, *suspiciosi*, *taciturni*, *cupidi* quidem, sed magis clam se-  
 cum, quàm sub *securiore* spe, & *liberaliore* ausu, neque cer-  
 tè etiam *quietem* adspernantes, sed præ *metu*, *suspensione*, at-  
 que rerum suarum *dissidentia*, etiam *inviti*, *vigilantiæ* ope-  
 ram dantes: Alii, qui tandem *ignavi*, *tardi*, *semolenti*, *fa-*  
*stidiosi*, *insensiles*, *incurii*, *abjecti*, aut *inepti*, *otiosi*, & præ  
*ædio*, etiam *cupiditati* minus tribuentes, quomocumque  
 partorum tamen, & cujuscumque propositi semel formati, et-  
 iam odiosè *tenaces*, &c.

Th. III.

Observari hujusmodi, seu occurrere, differentes *animi*  
*inclinaciones*, vix quisquam ignorat, nedum ut in dubium vo-  
 care audeat. Absolvi autem has differentias, *quaternario* im-  
 primis modo, præter *experientiam* attentam, suadet revera  
 etiam propemodum ipsa *sanatio*. Cum enim actionum hu-  
 manarum, imprimis, *duo* sint suprema veluti paradigmata,  
 nempe *promtè*, *facile*, *liberaliter*, ad suscipiendam actio-  
 nem, ipsa *intentione* quasi aditum facere; Et propositam ita  
 actionem, etiam vegete prosequi & *exequi*, seu absolvere:  
 Ita sunt etiam harum velut idearum *duo* opposita, nempe *igna-*  
*vidè*, atque cum *tergiversatione* quantacumque, *suscipiendam*  
 actionem animo quasi designare. Et pari quoque ratione, in  
*prosecutione* & *executione* ejus, procedere. Circà has verò,  
 ita in diversum abeuntes, species, tàm *decernendæ*, quàm *ab-*  
*solvendæ*, actionis, valet porro illud, (speciem tamen ipsam  
 non



non mutans,) *magis & minus*; Ita, ut iterum, promptitudo illa & alacritas, alibi quidem *temperans* esse possit atque moderata; alibi vero *acrior*, velocior imo *ferocior*: Et ita etiam in opposito, *tergiversatio* illa, alibi ingens, aut admodum *negligens*: Alibi vero *magis mediocrius*, adeoque ipsa quoque *limitata*, & peculiarium respectuum *proportioni*, velut exæquata. E quarum proportionum, *ad agendum*, & *in agendo*, *quadriplicitate* sinceriore & minus composita, procedunt deinde sensim, *respectivi* quidam atque *consecutivi*, *compositi* effectus & eventus; fundati imprimis super *Voluntatis*, partem suam ubilibet una capessentis, adeoque & hic magnifice se ingerentis, *decretis*, aut certe fugitivis placitis; ut, prout res, quæ agitur, seu *actio ipsa*, facilius aut difficilius *succedit*, ita etiam jam *gaudium*, jam *indignatio*, jam *maestitia*, jam *fastidium*, circa rem *presentem*: circa rem vero *futuram*, seu *actionem*, iterum iterumque suscipiendam, e *percepto* facili successu, *alacritas*, imo quasi *libido* seu *appetitus* quidam, ad iterum, & porro, agendum, *voluntati* placeat: Ubi vero contra, *difficilis*, aut *irritus*, aut eventus *inutilis* fuit, aut sapius talis evenit, susceptus *actus* aut conatus; Ibi, in *voluntatis* immixtione, nascitur *metus*, *fastidium* iterum tenrandi, *suspicio* perpetuarum difficultatum, *evanida* spes boni exitus, imo tandem, licet impetrati scopi, tamen *minus hilaris* & securus, *usus*, & veluti *fructus*. Unde revera summo jure, sub illo *quaternario*, summos veluti *apices* affectuum, tam in ipsa *actione*, imo ad *actionem* suscipiendam, *conspirantium*, quam in *consecutionibus* actionum *moralibus*, voluntatis *astimatione* designandis, comprehendere, res ipsa suadet.

Th. IV.

Putamus autem ex his ipsis sponte sua dilucescere veritatem eorum, quæ Thesi prima, sub Numero III. IV., uberioris distinctionis inculcandæ gratia, tanquam ex abundanti, notavimus. Nempe quod, si *suprema* illarum *proportionum*, *ad agendum* & *in agendo*, recte considerentur, quod tunc minus o-

B

pus



pus fit prolixè prosequi ultiores *animi propensiones*; Utpote, ex *voluntatis* concursatione, certo ab istis *superioribus* & *simplicioribus* demum *succedentes*, & quasi *procedentes*. Id quod proximo paragrapho jam satis indicasse speramus; Nempe, quomodo *dispositio ad expeditum successum*, verum quasi *appetitum*, & *liberalem promptitudinem* ad suscipiendam actionem, eliciat: Quam tanto magis factum ipso usu experimentum, *confirmat*: Imo, *facili successu recte impetratus scopus, gaudium*, aut certe *latam quietem* ex actione non frustra suscepta, instruit. Dum ex adverso, *impedimenta*, vel ipsum *initium* implicantia, vel *successum* prægavantia, *tedium voluntatis*, *malum omen de eventu*, *molestiam* sub laborioso successu, & tandem vel minus *latam*, ut ita *laboriosam* & multum *ambiguam, impetrationem*, vel *mœstam & indignabundam*, frustranei plane, laboris *memoriam*, efficiunt. Quibus rebus ipso experimento iterum aut sæpius ita perceptis, certus *motus*, de iterum iterumque inauspicato exitu, & *fastidium* pro iterum suscipiendo tentamine, *justa serie succedunt*. Ulteriores autem demum *successiones*, & imprimis a longiore & multiplici talium rerum usu *pullulantes*, sunt *cupiditas, voluptas, securitas, superbia, ira*: Aut e contrariis *initis, meticulositas, timidum fastidium, ambiguitas spei, suspicio perpetuorum obstaculorum, anxius terror*, & tandem *negligentis, contemptus*, ut vel *inutilis*, vel tantum laborem non refoecientis, *fructus*, adeoque etiam *omnis hilaritatis*, imo *securitatis* tandem *defectus*.

Th. V.

Cæterum, esse *simpliciora* illa, *suprema* quasi *schemata*, habituum hujusmodi *animi*, ex *actionibus*, & earum *sine*, usu & fructu, *resultantium*, *quatuor* præcipue numero, putamus e jam dictis concessum iri. Notandum interim omnino, quod etiam ex *oppositis*, certa ratione concurrentibus, non solum *graduum* peculiaris restrictio, ortum ducere solet; Verum etiam *insuper*, sub *diversitate temporis*, non tam exquisite *mixtos*



*mixtos*, quam etiam plane *anomalos* effectus, in uno eodemque subjecto, provocare. Adeo, ut nequaquam ubilibet, eminenter *simplicem* talem animi, velut *obturum* atque faciem, quærere aut expectare liceat; sed longe sapius & familiarius, *mixtam* talem proportionem, contemplatione ipsa scrutari conveniat. Id quod tanto certiore locum habet, postquam una pars *causarum*, tales *actionum* limites describentium, revera ita variabilis est indolis, ut reliqua dispositione interim stabiliore manente, hæc velut interveniendo demum, præter consuetum antea morem, tanto magis insolitum quiddam, & ad contrarium respectans, velut incutere valeat. Dignius autem omnino solerti consideratione est illud, in quo *animi mores*, cum *corporis* præcipuis conditionibus, realem quandam convenientiam fovere videntur. Deinde vero erit etiam locus illi considerationi, quomodo ab hujusmodi *communi* affectione, etiam *communicatio*, ad *effectuum* usque schemata, quasi pronum atque planum aditum invenire videatur, seu potius satis luculenter intelligi possit. Est vero *communio*, inter *mores* animi, & præcipuam, nempe totam *vitalem* dispositionem & affectionem corporis, quod utraque consistat in *MOTIBUS*. Unde etiam nota est, latinorum imprimis minime mala fundata, appellandi ratio & formula, dum eminentiores *morum* imperus, *motuum animi* nomine denotant; & nequaquam aliena locutione, quoties *impetus* tales in actum deducuntur, *commoveri* animum, dicunt. Sicut etiam verum omnino est, quod omnis *progressus* in genere, & omnis *mutatio*, tanto magis autem *transitoria*, & iterum *reversoria*, involvat *Motum*. Jam vero etiam universum *corpus humanum*, quatenus *Vivum* est, nedum quatenus *sensitivum*, perpetuis & indefinitibus affici *motibus*, ejusdem utique certitudinis est: Adeo, ut tam parum perpetuitas influxus *motuum*, a corpore *vivo* separari possit, quam *activitas* ab ipsa *anima*: aut utriusque *communio* seu *conjunctio*, pro *vita* atque *sensu* absolvendis:



dis: adeo, ut potius, imprimis intuitu *communiois conjunctiva* corporis cum anima, etiam revera *communio* quasi *participativa* motus unius pro utraque, agnosci deberet. Quamvis secundum nostram considerationem, verius *communio transitiva* subsit, nempe motus ab anima ipsa corpori inducatur.

Th. VI.

Omnino autem illud recte perspicere, & ad ipsum animum exquisite, advertere, necesse est, quod *Sextio* loco inuimus; nempe, quod illa res, quæ in *vitali* Oeconomia corporis, fit atque viget, & cui quasi geminum quiddam etiam *animum* ipsum afficiens, quod in ipso *animo* parem rationem *subeat*, & impofterum magis magisque, *assuetudine* firma, *seruet*, nihil aliud proprie fit, quam (*una res*) *idea proportionis*, ad suscipiendos, & regendos seu exercendos, motus. Constans, inquam, *proportio movendi*; qualis ut in *corpore*, secundum ejus diversas *materiales* & *mechanicas* mutuas necessitates, servanda omnino incumbit; ita ipsi etiam *animo*, a perpetua observatione, *adsuefit*, ut eandem etiam in suis operationibus persequendis, eodem modulo imiteretur atque exequatur. Consistit autem (I.) in libera *facilitate* successus totius, ex parte corporis; & inde tanquam *idealiter*, impressa *animo*, *secura*, *liberali*, *equabili*, sub *certitudine* quasi firmiter concepta prout & expediti successus, *tranquille*, *placide*, & *equabili* tenore, agendi ratione. (II.) Aut contra, in aliquatenus *impedito*, *materialem* habitu; *Qui* tamen *motus vigore*, certo compensari potest, adeoque *motus* activitate, difficultas illa *materia* in æquilibrium reduci: Par quoque *idea* in *animo*; ut nempe hinc tali activitati, seu *vivide* agendi promittuntur, imo *universæ intentioni*, denique *adsuefiat*; ut, perpetua experientia, satis certus atque securus, quod ita, *vegete* actionem ipsam instruendo, quantacunque reliqua subiecti veluti resistuntia, tamen in ordinem cogi possit, imo *soleat*; Hanc eandem normam propterea etiam actu *impofterum*



rum omnibus suis actionibus ita accommodet. (III.) Ubi vero tota *materialis* dispositio, & *relatio*, ad subeundos motus, ejus est proportionis, ut motus non, nisi cum exquisitio-  
re aliqua *commensuratione*, & quasi perpetua observatione qua-  
si æstimabunda, recte procedere possint; secus autem, tota  
*materia* ita affecta atque prædisposita sit, ut motibus, eorum-  
que justis progressibus & felicibus successibus, tanquam in ge-  
nere minus idonea atque obsequens existat: Adeoque revera  
perpetuum, (licet non æque in plane proxima potentia con-  
stitutum, tamen quam maxime *probabile*), periculum subsit,  
*motus* veluti penitus obruendi seu *opprimendi*: Ibi in *animo*  
quoque, prorsus eadem *idea* veluti, condiscitur, tanquam  
primo omnium loco, circa quaslibet suas *actiones*, impeding-  
tes quasdam, & totum conamen (*actionis*) difficile, laborio-  
sum, imo irritum, reddere compotes difficultates concipiendi.  
Unde non sine *dubitatione* aliqua quicumque actus ad ef-  
fectum perducendus suscipitur: Suscipiendus autem, aut se-  
mel susceptus, cum insigni *circumspectione*, *vigilantia*, quad-  
atenus *solicita assiduitate*; satis *vivida* atque vegeta *prosecu-  
tione* administratur. Interim tamen quam maxime æquabili  
*assiduitate*, propositos, *necessarios* imprimis, effectus, *asse-  
qui & exequi*, velut impressa sibi *idea*, *intentionali* certe, pro-  
sequitur, & hanc omnibus sibi occurrentibus objectis, certis,  
atque propositis, tanquam perpetuam amussim applicat ac ad-  
hibet. (IV.) Tandem autem, ubi non æque notabilis est  
difficultas *materiæ* ad progressum; præterea etiam, *viarum*  
intuitu, talis aliqua veluti infirmitas, quæ eximios motus seu  
impulsus ne quidem satis commode tolerare possit, subest:  
Ibinec *opus* esse *fortiore* motu, nec omnino, proprie loquen-  
do, *locum* ipsi esse, in proparulo est. Cum tali vero consti-  
tutione *corporis*, ejusque motuum, *animi* quoque plane pa-  
rem *ideam* ad agendum, seu actus suos instruendum, concur-  
rere dum videmus, merito identitatem quandam *proportiona-  
lis* hujusmodi *normæ*, seu *typi idealis*, subesse judicamus:



Postquam *otiose, secure, negligenter* potius, quam *anxie* aut *cupide*, omnia ibi fieri conspiciamus: Imo undique *ideam* illam, animo impressam, & velut impactam deprehendimus, ut etiam multa tanquam *tolerantia* sua imparia, *actionibus* aggredi, non tam metuat animus ita formatus, quam *fastidiat*, & vere *negligat*.

## Th. VII.

Haecenus quidem de nuda proportione, ut hodie loquuntur, *Physico-Mechanica*, seu habitu *materie ad motum*, verba facere, propterea satis habuimus, quia ex hujusmodi generaliore habitu, *motuum* ipsorum, quatenus *motus* sunt, tam *ideam*, secundum quam exercendi veniunt, quam *excursionem* ipsam, utrinque, tam in *corpore* quam in *animo*, procedere, imo *successuum* suorum, simplicissimam rationem fortiri, neque dubium aliquod est, neque rerum ipsarum conspectus aliud quidquam sensibus offert atque sistit. Interim, sicuti *Physico-Moralis*, nempe *finalis*, respectus corporis, quatenus in longum tempus conservari atque *sustentari* illud debet, ejusmodi *necessitati* cohæret, ut contraventio adversus illum, aliquam noxam, ut *finalem*, ut *futuram*, (& in hac quidem *Oeconomia*, ut satis *propinquam*, seu proxime *futuram*,) involvat, e qua totius rei, quæ geritur, relapsus in irritum & consequenter omnis prolixæ & operosæ *Systematis motuum*, vana atque gratuita evadat, tam *administratio*, quam imprimis tota reliqua *destinatio*: Sicut hæc res, in aliquanto magis obfultu conceptu, vanitatem atque futilitatem, tanquam propter nullum *finem* fientium, *operosorum actuum*, repræsentaret: Ita illi certe, quacunquæ sub indole, ne corpori, tanquam temere intereundi, & omnis justæ suæ mobilitatis proportionem amittendi, eventus obringat, merito metus aliquis, & hujusmodi rei antevertendæ, etiam *anxia sollicitudo* atque cura, certe omni jure atque æquitate, convenit. Unde, sicut de corpore, ut nullum *proprium finem* habente, & propterea etiam talis modi *respectus* incapace, non dici potest, quod me-



suere possit, aut ex metu *futararum* & demum *impendentium* rerum, quacunq; *sollitudine* aut *anxietate* illud affici, breviter, ullas in illud *affectus* cadere possit: Ita ex adverso, ut in *animum* *asimaciones* hujusmodi finium, quam maxime, & plane proprie, cadunt, ita exerunt sese etiam in illo, hujusmodi *Idea*, secundum exquisitam plane illam rationem atque *proportionem*, prout *corporalium* illorum motuum effectus, sive *saluari* eventui quam maxime quadrat atque respondet; sive laboriosiore sui progressu, tanto justiore veluti conclusionem suppeditat, quod e talibus motuum proportionibus emergens major *difficultas* ipsius actus, tanto *certius*, & plus minus *propius*, *periculum* minetur, *universi finis*, in perpetuum in irritum convertendi.

Th. VIII.

Hæc res, sicut in *Thesi*, uti quidem speramus, nullum rationi bene fundatum dubium facessit; ita, in *hypothesi*, confirmatur absolutissime, ipsa experientia, adeo in Universo Orbe, & quidem ab omni tempore, notissima, ut habitus illi *animorum*, ad metum, aut contra *securitatem* & *libertatem*, aut plane *contemptum* metus, & *audaciam*, non solum in se notissimi sint: verum etiam, uti antiquæ regula *Physognomica*, testatum, (nempe observatum,) reddunt, secundum illas *proportiones* motuum *vitalium*, (sanguinis inquam, juxta *capacitatem* meatuum totius corporis,) seu *reciprocam* corporis & humorum *harmoniam*: maxime tamen in ordine & respectu ad *successus* humorum, ad *conservationem* corporis, perpetuo **MOVENDORUM**, certo *mores* quoque procedant.

Th. IX.

Residet autem omnino in hac elocutione „ad *conservationem* corporis, *movendorum*, totus nervus illius *respectus*, de quo modo sermonem instituimus; Nempe, *animo* inde *adversus* *suæscensis* & imprimendi *affectus*, *metuendi*, *considendi*, *audendi*. Cum enim I.) *Conservatio* corporis unice consistat in *perpetuo motu*; II.) Proinde hujus *libertas*, *certam* atque

sc



*securam; difficultas & ambiguus successus, incertam, & ul-  
terioribus periculis obnoxiam, reddat, conservationis hujus  
durabilitatem: III.) Animus autem, dico anima, proprie sit  
illud, cujusquam maxime interfit, ut corpus conservetur; Ade-  
oque etiam ut media ad illum effectum pertinentia, libera sint,  
& ab omni incertitudine, aut peioris successus facilitate, ita re-  
mota, ut ille minime tam facile expectandus haberi possit: Sin  
secus, rationi conformis, adeoque justus, sit metus, quod  
conservatio hæc, id est, et interesse animæ, gravibus defecti-  
bus, & quantumcunque propinquis, subiaceat: IV.) Ipsæ  
vero tales affectiones, tam estimationis hujusmodi difficulta-  
tum, quam consequentis ipsius metus, proprie in eandem  
animam, cadant: Dilucescit e tali constitutione, & ordine,  
harum rerum, quomodo etiam hi mores, sive liberæ securi-  
tatis, sive metus, sive audacis pertendendi intentionis, ex hu-  
jusmodi respectibus motuum vitalium, (humorum, inquam,  
secundum proportionem partium,) ipsi animo concilientur,  
& magis magisque in illo confirmantur, imo quasi obfirmen-  
tur.*

Th. X.

Ut autem etiam hæc veritas in apricum producat, quod  
habituum illorum reciprocorum, humorum, & partium soli-  
darum, pro illorum per has motu, & huic superstructa certiti-  
tudine & facilitate conservationis, aut contra corruptionis &  
eversiois, corporis, vera talis sit atque detur, existentia, &  
efficacia; Sufficit considerare negotium Vitalitatis, prima-  
rio sanguinis, secundo vero etiam corporis universi; Et  
quidem, quam summam relationem, sive, ut alias loquuntur,  
dependentiam, subordinationem, consecutionem, hæc habeant,  
cum libertate, aut plus minus facili implicatione, motus humo-  
rum progressivi.

Th. XI.

Quod ut, quantum fieri potest paucis absolvamus, com-  
mendamus considerationi n.) quod tam universum corpus,  
quam



quam maxime expositum & paratum sit subeunda corruptioni putredinosa; 2.) Quam imprimis molles ejus partes: 3.) Maxime omnium autem, & quidem velocissimæ, sanguis. Interim sanguis hic, & per illum etiam reliqua universa substantia, ab hoc actuali eventu hujus corruptionis, vindicetur & perpetuo præservetur, (in genere) motu: (in specie secretorio, & excretorio alieniorum,) 4.) Unde sufflaminatio hujus motus, utique contrarium ejus introducit, nempe corruptionem & destructionem illam: 5.) Et quidem, ut actualis sufflaminatio plenaria, ipsum utique actum; Ita dispositio ad talem sufflaminationem, quam vocant potentiam proximam, certe perpetuo introducit æque, atque fovet, seu perpetuo expectandam reddit illam corruptionem: Et quidem 6.) ea proportione, qua ipsam plenariam illam motus oppressionem, facilius, aut aliquando remotius & minus prompte, spondet aut minatur. Qua super constitutione, ejusque diversa proportione, deinde fundatur illa, sive magis, sive minus, metuendi, æquitas; & impendentis periculi, justa seu rationali æstimationi conformis formido.

Th. XII.

Ut itaque rem ipsam, ab hujusmodi consideratione potentia, ad observationem actus, seu facti ipsius, deducamus; sistimus ipsa in universo mundo perpetua hujus rei specimina. SANGUINEUS habitus, sanguineum Temperamentum totius, sanguinea complexio aliorum vocabulo, dicitur, quando & sanguis in se, quasi optima temperie fluiditatis præditus, (temperie inquam, in neutrum excessum deflectente, instructus,) insuper etiam talem structuram corporis sibi junctam habet, quæ multa, & quantum optime sufficit, parula, spongiosa-porosa, meatuum, libertate, optime instructa est. Qualis musua humorum ad tales meatus proprio, necessario post sese trahit, 1.) pronam atque promptam progrediendi facilitatem, 2.) adeoque etiam impulsus satis mediocris, sufficientem plane futuram insipientiam: 3.) &



*rali æstimatione, securitatem, ab omni forte facile eventura liberi hujus progressus impeditio, nedum detentionis: Adeoque 4.) ut, physice, nullum eventum corruptionis: ita 5.) morali expectatione, nullum etiam ejus metum.*

Th. XIII.

Inde fit, ut *Anima* tale corpus inhabitans, & hujusmodi constantem, in tali corpore, *successum* motuum observans, huic *Idea proportionis* successus actuum, *adsuescens*, plane parem etiam, sibi propositam, perpetuo retineat atque sequatur, in reliquis etiam suis actionibus: non solum *perpetrandis*, sed etiam intentione *desinendis*, &, ratione obtinendi *finis, æstimandis*. Unde omnia sibi *libera, facilia, prona, securæ, certa*, concipit atque præfiguratur. Subit moderatos labores *lubens*: Persequitur eosdem *temperanter & æqualiter*: *Facilibus* autem successibus *indulget* etiam. *Gaudet* atque *delectatur* iisdem; Imo amat magis magisque tum ipsos tales *faciles* successus, tum *fines* varios, propter tales *faciles* successus, aut ad minimum usitatam sibi spem parium successuum. Aspernatur autem quicquid *difficultatem*, sibi insolitam, & velut ignotam, involvit; Irretita fortuito talibus rebus, *perturbatur*; &, ut in ignotis, *expers* est consilii: Imo, *urgentibus* talibus velut *obruta, trepidat, angitur, desperat*. In *mediocribus*, *sperat*, id est, respectat, & quasi recordando recollit, *meliora*: sublevata ab inusitatissimis illis obstaculis, mox ad se redit, ad ingenium, ad pristinam firmiter conceptam ideam, *libertatis felicitium* successuum confidenter sperandorum, *libertatis, securitatis*: Unde etiam proprie, minus circumspicit *fiduciam* atque *credulitatem*, aptior est; maxime tamen circa res gratas, commodas, lætas.

Th. XIV.

*CHOLERICUM* Temperamentum quod dicitur, partim quidem etiam ita depingitur; consistit autem revera, (leniore schemate,) proportionem humorum, atque solidarum partium, quatenus Vias humoribus præbent, in sequentis typi habitu. *Sanguis*, temperici est *laudabilis*; Potius ad abun-



abundantiam aliquam tenuis *fluxilitatis*, florida sua Crasi & tenuitate partium, quam ad qualemcunque defectum fluiditatis hujus, propendens. *Partes* autem alias porosæ, per habitum corporis, notabiliter *arctiores* sunt, quam in *Sanguinea* constitutione seu textura corporis. Consequenter etiam ordinaria *conceptacula* totius *Massæ* sanguineæ, *Vasa* sanguifera, (postquam sanguis minus liberæ evagationis invenit in partium aliquanto *arctiore* capacitate, adeoque his suis receptaculis plus incumbere cogitur,) sunt *capaciora*, *ampliora*, & magis *distenta*, quam in *sanguineo*, ubi propter disparem rationem *exiliora* sunt. Interim, cum tamen humor sit bene *mobilis*, in aprico positum est, quod hanc qualemcunque *angustiam* meatuum, facile sarcire possit, proportionatum *augmentum*, & qualiscunque vegetior intentio, *impulsus*; Ubi etiam, si *moralis* æstimatio adhibeatur, sub legitima moderatione, auctioris impulsus, nullum periculum *obstipationis* impender, dum humor est bene constitutus: Imo ingruentes forte, & solum adhuc incipientes, *fluxilitatis* humoris defectus (cum sanguis ipso *transpulsorio* motu, proprie *reddatur* fluxilis,) augmentum proportionatum impulsus satis rempessive institutum, ita expediatur, ut verum ad illos averruncandos sit medium & instrumentum.

Th. XV.

Ab hac constitutione, & proportionem *motus* ad *mobilitatem* materię, & *mobilitatis* ad *motum*, accipit & arripit *animus* inter has res habitans & obversans, *ideam* illam, rebus suis *nihil* æque metuendi; Vegetæ interim atque *vididæ* *activitati* adsuæscendi: Imo illam, ut verum *Medium*, omnia *impedimenta* superans, reputandi: Labores hinc qualescunque non solum non *reformidandi*, sed magis magisque etiam *libenter* suscipiendi, & sub securitate *finis* certo obtinendi, eosdem etiam, non sine *gloriæ* alicujus ambitione, *affectandi*, & in illis, tanto magis autem in *felici* illorum eventu, non sine qualicunque aliter sentientium *contemptu*, *exultandi*. Unde deinde

C 2

li-



liena est a metu, sed *audax* potius, & plurimum sibi *fidens*, *secura*, sed non tamen *otiosa*, aut *negligens*, *vigil*, *promta*, *segnis* *quietis* *impatiens*, tanto magis autem *obstaculorum*: *Aspernabunda* hinc, sed ipsa *contemptus* *impatiens*, & tam huic, quam *pertinaci* *obstaculo* *irascens*: *Felici* *ausuum* *suorum* & *laborum* *exitu*, nimio plus, quam omnibus *facillimis* *successibus*, *gaudens*: Eoque ipso *voluptatibus*, qua talibus, earumque *prona* *successibus* non multum, aut certe non diu, *inhians*, imo ne quidem *insistens*: Et sub his omnibus rebus non solum a metu alienissima; sed etiam, inter *pravalentia* *impedimenta*, non tam ad *desperationem*, quam primo *iracundam* *temeritatem*, & ultimo *indignabundum* *furorem*, *exorbitans*.

Th. XVI.

Jam, quod ita dictum *MELANCHOLICUM* Temperamentum attinet, in hoc *spissior*, quam ut commodissime tenuiores meatus permeare possit, sanguis, insuper insigniter *arctos* & *exiguos* tales meatus atque transitus habet, in strictiore textura corporis hujusmodi. Ne tamen sub hujusmodi reciproca *inaequalitate*, progressus necessarius detrimentum accipiat, *medium* unicum conveniens præbet, talis *proportio impulsus*, ut ille partim quidem ita satis *vegete* seu *fortiter* fiat; interim non tam æque ipso *insultu* *celer*, quam potius *incubitu* *pressionis*, *contentus*: quod una *simplici* vi *absolvi* non potest, satis quidem *robusta*, sed tamen *robustiore* ad *finem*, quam per momentum *initii*, *impressione*, perpetretur: Quam necessariam longinquam *Paraphrasin*, germani nostri brevissime exhauriunt, modo recte intelligendo vocabulo, mlt Nachdruck: Quod nempe placide *infinuatam*, potenter *finiendam*, *pulsionem* & *promotionem*, conceptui offert. Si enim contrario modo & *proportione*, tali *reciproca* *conditioni* humorum & viarum, *motus* adhiberetur, ut nempe *spissus* humor, in *arctas* vias *repentino* impetu impelleretur; Et quidem tales vias, ubi a *patientiore* *capacitate* in *arctiorem*, a  
ma-



magis *recta*, in *floxam*, progressus sit promovendus, nihil *mechanice* probabilius impendet, quam *obstipatio*, daß es sich/ durch drängen/in stemmen und stocken versetzt: Quod nempe de *spisso* humore, *solidescenium* corpusculorum multitudine imbuto, qualis est sanguis, non potest ullam difficultatem implicare, ut fiendi, ita neque satis manifesto concipiendi. Interim, si respectus habeatur ad *moralem* æstimationem hujusmodi constitutionis, nemo non intelliget, quod perpetua subfit probabilitas, longe facilioris *plenaria* hujusmodi implicationis; Quando vel *spissitudo* illa humoris, adhuc majus *incrementum* sumit: Vel iusta proportio *motus*, quacunque de causa pervertitur. Unde adeo semper iusta *suspicio* est, impendere aliquod *periculum*, aut ad *minimum* subesse *revera necessitatem* aliquam, non solum majoris aliquatenus *laboris*, ob arctiores transitus; Sed etiam *impeditioris*, ex ipsa materiz minore habilitate: Adeoque tanto magis necessariam esse, *attentam* quasi *proportionis* observationem, *circumspectam* ejus *prosecutionem*, & *providam futuri* impedimenti gravioris, vel *cautionem*, vel *expectationem*. Ubi interim *impeditio* illa ultimum sui gradum & effectum nacta, utique *stasim*, & *ab illa impendentem lethalem* corruptionem, præfagit.

Th. XVII.

Quid mirum itaque, si anima inter has exquisitiores jam proportionales, utpote *impedimentis* circumscriptas, versata, *ideam* illarum & *imprimis* sibi, & uti solet imitationes amare, earum *Paradigma* etiam suis actionibus *sequitur*. Quod utique facit, dum in omnibus suis rebus exercendis, nec *presens* temere *fidit*, nec *futuri* otiose *secura* est. Sed semper *circumspectus*, *suspicax*, nunquam negligenter *secura*, *attenta*, cum *sollicitudine curiosa*; *Moderata* in suis actionibus, non quod aliter plane nolit, sed quod non *confidat*; (Sie trauet nicht) Interim *laboris*, ubicunque aliqua *necessitas* vel apparet vel comparet, *tolerans* atque *patiens*; *assiduitatis* amans, *cœptis* suis *insistens*, imo *invigilans*, neque illis temere ite-

C 3

rum



rum omittendis facilis. Ubi vero impedimenta vera *prava* lesunt, *anxie meticulosa, crepida, extrema* quæque *reformidans*, imo *præfugiens*: Indeque nihil medium amplius sibi proponens, sed vel *furiosam* quasi vim, ad expugnandum arque superandum, incumbens malum: Vel ad *desperationem* usque deficiens, omnis consilii amissionem, potius, quam omissionem. Ubi interim *compositi* quasi, aut certe magis magisque invalescentes hujusmodi effectus, ab illa *proportione corporea, seu physica*, in *astimationem moralem* translati affecta, & consecutiones ut *interesse* anima respicientes, producant utique ibi *metum*, *indefinentem suspicacem circumspectionem*, & non saltem eorum, quæ sunt, sed & quæ fieri possunt. præsumptiones: Unde *evitatio occasionum*, adeoque amor *solitudinis, taciturnitas*, ne aliqua injuria provocetur, *vigilantia*, cupiditas sibi (etiam civiliter,) *prospiciendum, e (civilibus) difficultatibus* emergendum, easdem præmature *præoccupandum*: Et hujus intentionis media, *studia* quarumlibet artium, ita, ut quantumpotè fiderè liceat, probe excolenda: Ex *attentione & circumspectione*, & *exercitationis assiduitate*, etiam *judicii promptior habitus*: *Consilium providum*, licet non æque neque *succinctum*, neque *firmum*: Interim *multiplici rerum, quæ accidere usquam possunt, præsumptione locuples*: Cui, præsentior & audacior alius animus tandem egregium decretum superstruere possit. Dico de *civilibus* directionibus & exitibus; Interim in *Moralibus* rebus, & *rationalibus*, ubi tandem certa *veritas* conclusione attingi potest, assequitur certe talis animi modulus ad agendum, solidissimam veritatem, qua patet aditus: Dum omnia impedimenta excutere assuetus, ita non facile crudum aliquid, & non plene deliberatum, firmiter *desernere* consentit.

Th. XVIII.

Tandem autem, ubi ejusmodi præsto est *humorum & partium solidarum, confirmatio & mutua proportio*, ut *humores* quidem non adeo floride *sulphurea*, sed magis *diluta*, Crassi imbuti, eo ipso ad progressus impeditioris eventum non æque



que adeo apti, nedum proni, sunt; Simul quoque partes ipsæ solidæ, satis porosæ atque spongiosa textura instructæ, tanto minus morari facilem humorum horum progressum valent: Ibi rationi utique consentaneum est, *motus moderatum* progressus impulsus seu gradum, sufficere posse, ad liberam perpetuam *continuationem* necessarij progressus præstandam. Et, si utique *retentioni* & *interceptioni* motus, aliquis aditus, imo effectus, obtingeret; quod ita tamen, e tali *Crafi* humorum animalium, (qui semper aliquid spissiusculi involvunt,) non tam *presentanea* æque aliqua, & *præcipitis* progressus, nempe *putredinosa* acrior, *corruptio*, æque eventura sit, quam potius solum languidior, *falsa*, *ulcerosa*: Imo languidum hunc eventum adhuc magis protrahens, *mucidos* lentor, *chronicorum*, *tumidorum*, *Oedematosorum* affectuum & effectuum architectus. Sequitur ita etiam in *Physico-Mechanico* habitu motuum, *pulsus* velut *otiosus*, *minor*, *tardior*, *rarior*: Consistentia interim ipsa partium, evadit revera *mollicula*, adeoque *extensionibus*, & consequenter *infarctibus*, & hinc successive *stasibus*, aptior, si impulsus ille minus moderate, administraretur. Ubi interim, *physico-moralibus* respectibus, atque æstimationibus, utique nullum æque tam propinquum periculum impendet, ne hujusmodi mutua proportio, ansam præbere possit *stasibus*, & per has *corruptionibus*; Imprimis, cum ipsæ quoque *corruptiones* segniores, præsentiosem aliquem, & quantumlibet *anxium* metum, minime suadeant, nedum objiciant: sed potius, secundum hunc respectum, satis firmum fundamentum *securitatis* compareat.

Th. XIX.

Ita nempe fit, ut *anima*, hujusmodi *actionum*, imo *agendorum*, *typis* adsuæfacta, etiam circa reliquos suos actus servet parem *tranquillitatem*, *lenitatem*, summam *moderationem*, & *ἀδίαφοσίαν*: Quæ tandem usque ad *negligentiam*, *ignaviam*, (præ maximo *quietis* amore,) laborum odium: si vero per incidentes extraneas violentiores *ἐνέπυστας*, habitus re-



rerum tantisper tranquillus, graviter perturbetur, ita quoque, ut in re sibi plane insolita, *ingens metus*, consilii inopia, *stupor*, imo tandem attonita *desperatio*, succedat. Sicut etiam de reliquo, nullus eximie *patheticus* delectus, nedum ejus effectus, per insignem *jucunditatem*, atque inde *hilaritatem* & *gaudium*, in hujusmodi complexu sese sistit & offert; Unde tales nec insigniter *avidi* sunt, aut aliquid eximie *gratum* sibi præfigurant: Neque adeo inter res *jucundas*, *animatus* hilares, nec ad res admodum *serias* satis applicationis affectantes, sed revera *stupiditati*, *ineptiis*, imo *soliditati*, expositi, quando intemperantius typo suo obsequuntur. Eo ipso quoque *seguer*, *negligentes*, *obliviosi*, *somnolenti*, *otiosæ* quietis amantes. Interim earum rerum, quas semel impetraverunt, & qualemcunque *jucunditatem* ex illorum fructu perciperunt, *avarari* atque *tenaces*, utut *avidi* non fuerint: Non aliunde magis autem illud, nisi quod easdem iterum parandi, qualemcunque utique quem quidem possunt, *laborem*, averfentur, dedignantur, reformident; Adeoque securius ducant, & omni modo optabile, illud conservare, quicquid jam possident.

## Th. XX.

Et ita quidem arbitramur, nullam æque difficultatem restare posse intellectui, qui fieri possit, ut animus in suis operationibus, imiterur atque sequatur maximopere *proportionem mobilitatis* humorum, per capacitatem seu *receptivitatem* viarum. Dummodo verus totius rei nervus recte animadvertatur, qui nempe in eo consistit, quod utique utrinque, tanquam *unum tertium*, conspirans, sit *typus* impendendæ *energia*, ad propositum suum in effectum deducendum, & scopum suum obtinendum. Quo in genere, quantum anima adsciscat, sive sibi ad se faciat, e corporearum harum rerum *Oeconomia*, ejusque *typis*, tanto magis dignum consideratu est propter eum respectum, verum plane omnino, & revera solidum, quod circa corporeas has res, ejusmodi proportio in-

stru-



struendorum *motuum*, innitatur *necessitati* cuidam: Cum ex aduerso, *morales* illas res, simili *proportione*, tractandi, quæ corporalibus talibus, per individua, respondeat, nulla usquam compareat *necessitas*; nisi pure æstimationi *arbitrariæ* superstructa, id quod non abs re fuerit ipsi exemplis, confirmare magis, quam solum illustrare.

Th. XXI.

Si enim, v. g., in *proportione* corporis *Cholerica*, humor fluxilis satis, sed tamen præcipua sui copia intra capacia vasa stabulans, per arctiores meatus non *vididius* *pelleretur*, circuiret certe tota sua quantitate tardius. Jam, cum *conservatio* floridæ tenuitatis sanguinis, proprie præstetur medio indefinentis transpulsionis per solidas porosas partes; contra vero, diuturna mora, ut in simplici sui *Massa*, intra *cavitates* majorum Vasorum, potius *spissitudini* obnoxium reddet. Quo tamen etiam ipso denique, tanto magis *necessaria* eidem redderetur major *activitas* impulsoriæ *energiæ*, dum in hoc *systemate* meatus partium non solum arctiores, sed *verosimilime* etiam omnino pauciores existunt. Dilucescit proinde hinc omnino, quod in tali *constitutione* corporis, major ejusmodi, præsentiorque atque *vididior*, *activitas* totius impulsoriæ *energiæ*, (in ordine vitalis *Oeconomix*, quatenus utique *conservari* debet corpus, & ante omnia sanguis) habeat *veram* rationem *necessitatis*.

Th. XXII.

Id quod tanto manifestius liquere potest, de illis *proportionibus*, quæ in habitu corporis vulgo dicto *Melancholico* sese sistunt atque offerunt. Ubi nempe jam omnino præsens est illa minor *mobilitas* sanguinis, ab ejusdem *actuali* notabiliore *spissitudine*; una cum *meatum* eximia *angustia*, & insuper insigni *amplitudine* Vasorum tanto magis idonea ad fovendam *otiosorem* illam *detentionem* totius *Massæ* in una *colluvie*; Adeoque eo magis aptam *occasionem* præbet ad *augendam* illam *spissitudinem*, minoris (magis magisque,) ut in genere,

D

mo-



mobilitatis fomitem. Quo nomine itaque hic adhuc multo major atque certior omnino, subest & præsto est, illa *necessitas*, (*physico - Moralis*, in corpore ut *Vivo* utique *conseruando*, & non perdendo, seu præcipiti sui interitui permittendo,) hujusmodi *idea* atque *Regula* instruendorum & seruandorum *Motuum*.

Th. XXIII.

At vero, in illis *pathetico - moralibus*, Animæ, tam *scopia*, quam *mediis*, imitationem ejusmodi *typorum*, quales in sui *corporis* *Oeconomia*, corporali, inquam, motus proportionem, vera aliqua *necessitas* postulat, hic nulla usquam exigit *necessitas*. Id quod tam generali conceptui dilucescere potest, quam speciali exquisitori comparationi & examini. Quis enim, in genere, negabit, quod ad impetrationem scopi, iterum dico, ut in genere, (salvis illis proportionibus, quas ille in specie deposcit,) nihil magnopere attineat, an ad illum assequendum vel properes, vel moderate procedas; Liberaliter & securius, an impatienter, accedas: Tranquille, an auide, subeas: Placide & assidue, an festinate & velut in transitu, fruaris: Eoque ipso, priore modo, solidum, aut certe statarium; aut posteriore, evanidum, & mox in fastidium degenerantem, fructum percipias. Quid autem attinet, iterum dico, ut in genere, & ad omnes actiones æque, atque singulas indifferenter, ipsa mox intentione, non ut circa rem ipsam *presentem*, sed ut de *futuris* ejus successibus, sive nimis *securum* esse, sive nimis *solicitum*, *suspiciosum*, diffidentem, imo *meticulosum*: Sub prosecutione quoque, has animi phasés non mutare; sed illic *negligentem*, hic *anxium* esse, jam sub ipso successu, ad minimum ultimi eventus. Illic impetratum ipsum finem, *frigida* æstimatione, & *hebetere* perceptione; Hic metu perdendi, aut dolore transitorie durationis, labefactare, & fruitionis qualemcunque æstimationem corrumpere.

Th. XXIV.

Dabimus rei, tanquam in specie, non tam exemplum solum,



lum, quam potius exemplar. Si *deliberatio* circa quemcun- que scopum, idoneis mediis impetrandum, proponatur qua- drigæ Virorum, quorum unus sit Temperamenti sic dicti, seu complexionis, (humorum & partium proportionis, quasi sub uno complexu sumtorum,) *Sanguinea*, alter *Cholerica*, tertius *Melancholica*, quartus *Phlegmatica*: Habebunt hi sine dubio, *generalissimam Ideam* inter se consentientem, primo, quod scopus propositus considerandus veniat, ut *impetrandus*, & quatenus *impetrabilis*: secundo, qua ratione, quibus modis & mediis, ille impetrari possit atque debeat. Jam, si etiam inter se in eo conveniant, quod scopus & possit impetrari & de- beat, quoquo tandem modo fiat; Ut adeo *modus* impetra- di, non æque ad *effectum* impetrandi, ut *absolute*, faciat: Im- primis ut *diversus*, nempe quatenus non ut absoluta una verita- te, & immutabili necessitate, ita & non aliter, directe, re- quiritur, sed vel intentione seu speculatione, vel inventione seu experimento atque tentamine, *ambages* qualescunque si- ve fert, sive præ se fert: Cerrissimum est, proditura ab his di- versis Viris, ita diversa consilia, circa formandam Ideam illius *modi*, qui hic vel possit utiliter, vel plane debeat, (ex ipsorum singulorum adsueta *Regula*,) adhiberi, quæ singulorum *Ideæ*, quali revera corporis sui primarium Negorium administratur, exquisitissime conspiret atque respondeat. Ita enim *sanguini- cus* parum difficultatis præsupponet; sed potius rem, ut sic satis in plano positam, animo complectens, formabit etiam animo talem gerendæ rei ordinem, qui satis probabiliter qua- drare possit, non solum ut in effectum deducatur, sed & ad totius rei effectum absolvendum, satis sufficere videri possit. *Cholericus*, (loquimur de objecto, ut non æque opinabilibus difficultatibus exposito,) non solum facile assentietur, proba- bilia proferenti, sed innuet etiam, commendabit, aut pro re nata sibi deposcet promptam consilii *executionem*. *Melancholi- cus*, nisi torus processus tam planus sit, ut progressus a nume- ro uno ad duo, certo habebit, quod considerandum putet; &



inveniet, aut quæret, possibiles aliquas intercurrentes difficultates, quæ festinationem morari possent: Sed inveniet etiam iisdem idoneas aliquas cautiones: Eo ipso vero omnino, non solum placide, sed & *circumspecte* procedendum esse, probabit. Vix hic se continebit *Cholericus*, quin suam sententiam confirmet; & si res revera in plane posita sit, elevabit supervacuas suspiciones: Sin autem non ita plano proclive sit negotium, quin probabiles agnoscere possit *Melancholici* cautiones, agnoscat quidem eas liberaliter, sed habebit fiduciam aliquam, potius superandi atque subigendi obstacula, quam præoccupandi illa, aut evitandi, quod potius certo *Melancholico* placebit. Recte hæcenus; sed si etiam *Melancholicus* adhuc femel exceperit, pro sua sententia, vix jam *patienter*, sed ad minimum *audacter*, *confidentem* suam pertendendi viam, ut satis certam, defendet *Cholericus*. *Sanguineus securioris* eventus æque, atque *tranquillioris* successus fiducia, humaniter dissidium horum componere sataget; Laudabit *circumspectionem*, temperabit, seu ordinabit *depulsionem*: Non nociturum, in omnem eventum prospexisse: Interim si utique, præter omnem spem, & eveniant talia impedimenta, & *cautionem* frustrentur, tunc demum ut tempestivum laudabit *Cholerici* ausum, & illi sine dubio *executionis* partes, in hunc casum, deferet: Quod *Melancholicus* tacendo, non quod vulgo ajunt, probabit, sed certius improbabit. Jam si denique etiam *Pblegmaticum* ordo tanget, in planioribus rebus subscribet sine dubio *sanguinei* placito: in quantumcunque impeditionibus, mirum erit, si non aliquid quærissetur, an etiam operæ pretium sit, aut quod aliqua necessitas subsit, talibus rebus operam & laborem impendere: Accedet autem propius *Melancholici* præcautionibus potius, quam *Cholerici* operationibus, commendatis: Tandem tamen permittet rei arbitrium majoribus votis, & acquiescet.



Sin autem revera intricatius quoddam incumbet argumentum consultatione resolvendum, si *Sanguineus* sententiam dicere occipiat, vix satisfaciet negotio, imprimis si non per otium quasi, & longiore deliberatione, illam perpendere possit. *Cholericus* quoque impatientia vix finet aliquid maturum & satis circumspēctum decernere, quo minus ad *præcipitia* consilia, & vim spectet, magis *confidentia* & *audacia*, quam dilucida *ratione*. *Melancholicus* autem certe multa inveniet, neque facile ipse aliquid subterfugiet, non solum quod subfit, sed & quod subesse possit: si vero *metus* ipsum vicerit, vix de bono eventu spem admittet. *Phlegmaticus*, in seriare, & non urgente, tanquam præcipiti, decernendi necessitate, auditis imprimis *melancholici* rationibus, non plane deerit, quin considerata aliqua eliciat; In trepidis autem rebus, vel reliquis commendabit considerationem & procurationem, vel certo inutilia, & vix non inepta, suadebit.

Sicut autem ad nostram rem præsentem, non æque attinet indicare, aut veluti commentari, quem usum civilem, in instruendis consultationibus, passim habere posset hujusmodi consideratio, dum v. g. *Melancholici* Temperamenti, (non in temperiei,) homo, (instructus tamen etiam reliqua necessaria experientia, & usu rerum,) utilissime, sine omni dubio, primo loco ad dicendam sententiam vocaretur; Cujus *rationes*, ordinarie scrupulosiores, *cholericus*, (cæterum iisdem, necessariorum temperantiarum & experientiarum prædiis instructus,) vel diluere, vel idonea iis media invenire, valebit. Si vero etiam hic aliquid, velut in oppositum, exerraverit, conciliabit sine dubio *Sanguineus*, quicquid proportionem hic admittere poterit. Imo, si vel hæc deliberatio pari circuitu adhuc semel repetatur, habebit tempus etiam ipse *Phlegmaticus*, ad rem satis considerandam, & laborantem alicui sub adversis sententiarum veritatem, propius forte expediet, &c. Ita subiacebit tamen



men nostræ contemplationi dictus ille respectus, quam ob rem hoc totum exemplar proprie allegavimus, quod hic modus, & hæc methodus procedendi, non solum directe ad rem ipsam, nullam *necessariam*, adeoque absolute *veram*, proportionem involvat: Id quod etiam non solum e *diversitate*, sed etiam *contrarietate* quadantenus, diverforum hujusmodi ingeniorum, dilucescit: Sed potius magis positive sequatur, aliunde contractam, desumptam veluti, & assumptam, *normam* atque *seriem*, actiones suas, etiam in genere, ordinandi atque instruendi; Id quod tanto magis etiam ex eo elucescit, quod hanc agendi rationem, suo temperamento propriam, ita dispositi servent atque sequantur, (imprimis quo magis magisque libere adsuescere permittuntur,) etiam in levibus, imo modo non frivolis negotiis, quocumque tali apparatu, nullo neque physico, nec morali intuitu, dignis.

Th. XXVII.

Nempe, in allegatis exemplis tam *sanguineus*, quam *cholericus*, imo nihil reliquis minus, *Melancholicus*, de *summa rei*, nempe propositi objecti seu scopi, unum eundemque habent conceptum illum *genericum*, quod non solum *impetrare* velint propositum finem; sed hoc ipsum etiam perpetrare, per *media*, *proportionata* atque idonea. Quod autem deinde in definienda illa *formalitate* proportionis, illud *Idoneum* atque vere aptum & quadrans, non solum in *diversis*, sed etiam sæpe satis evidenter ad *contrarietatem declinantibus*, differentis, constituant, illud certe, cum *rei ipsius*, & *veritatis*, quæ nihil contrarii tolerat, nedum involvit, habitu minime fundetur, non aliunde utique manifestius dependet, quam ex illa, ejusmodi proportionem, corporeis suis negotiis vere, & quidem indefinenter, incumbente. Quandoquidem nulla est expeditior, vel simpliciter ad hominem, argumentandi atque concludendi ratio, quando *Ætiologia*, cujuscumque rei expedienda venit, & aliqua quidem dilucide *positiva* rationes praesto sunt, aliæ vero *nullæ* comparent, positivis illis omni modo



do tantum loci tribuere, ut inde jus fasque sit, & regulariter inferre, & firmiter concludere, donec contrarium, aut saltem diversum melius probetur: Aut solum nervus presentis ejusmodi argumenti aut documenti, insignis alicujus defectus, aut qualiscunque Paralogismi, convincatur.

## Th. XXIX.

Hæc itaque est illa, ut in ipso facto comprehensa conspiratio *morum animi*, cum *motibus in corpore* fieri solitis; Talis inquam *harmonia*, ut verus concentus atque plenus consensus reciprocus, satis inde diluceat. Cujus rei *fundamentum* primum, licet jam superius indicaverimus, valebit tamen de eo etiam vulgata illa locutio, quod *superflua* non noceant; Quod quidem tanto certius est, quoties magis ad majorem confirmationem & illustrationem, ostensionem inquam, quam ostentationem, magis ad usum, quam lulum, imo luxum, adhibentur. Placet itaque, novo quasi schemate, notare, atque considerationi commendare, quod hæc communicatio & ex parte *animi* receptatio, atque assumptio parvis *Idea actionum*, non a *materia*, ejusque qualibuscunque, conditionibus, originem suam desumat; Adeoque, juxta crassissimam acceptionem, vocabuli, *physicum* nihil, proprie & exacte loquendo, directe respiciat aut sequatur. Sed unice, strictissimo sensu dictam, *mechanicam, proportionem*, ejusque tam æstimationem, ut a priori, quam executionem, ut a posteriori, directe imitetur. Unde nulla affectio, nulla materialis conditio, nulla Crasis, nulla pars constitutiva, sanguinis, aut ullius alterius partis corporis, quidquam hic potest, aut efficit. Sed unice respectus sanguinis *ut movendi*; respectus *habitus* ejus *ad motum*: Neque *sanguinis* solum, sed etiam partium *solidarum*, proportionis inquam illarum *pororum & meatuum*: Adeoque undique & utique, proportio *activitatis motus*, in habitum *materiæ, ut mobilem*. E qua re, ut in uno complexu, in se, spectata, resultat, atque etiam vere abstrahendo ab *actuali presentia materiæ* manere, asservari, concipi utique, potest, *idea* talis firma & perpetua, omni-



no *intentionalis*, *hypothetica*, ut *de futuro*, *de contingente*, *de tempore*, si tale quid contingat, iusta intentio atque destinatio; huiusmodi *Normæ* atque *Regulæ* proportionum *motuum*, quæ & quales non solum absoluto *Mechanismo* quadrent & conveniant, conspirantis proportionis rebus, quodcumque tandem tales existere contingat, & motum iisdem adhibere seu applicare forte placeat: sed imprimis etiam *moralibus*, nempe *finalibus*, respectibus, qualis, nempe aliqua talis, *idea* proportionis *motuum*, ejusmodi materiæ, quando illa subsistere debeat, (quodcumque tandem existere seu præsto esse incipiat,) revera debeat, necessarius illi sit, hoc respectu, (subsistentiæ seu durationis, non simpliciter existentia, adeoque ullius in hærentis, nullius materialis, sed simpliciter finalis, respectus intuitu,) imo ab illa, ad hunc *finalem* respectum dirigenda atque gubernanda, inseparabilis sit.

## Th. XXIX.

Ita inquam rem, uti verissima, ita omnino justissima, contemplatione æstimando, facile dilucescit, quod cardo totius negotii versetur in pura *Mechanica*, *æstimabili*, & in vera constante *Idea*, ut in præsens, ab omni materia *separabilis*, interim etiam *moralibus* actionibus exquisitè applicabili; *idea* inquam atque *typo*, *motus*, qua talis, secundum sui proprias affectiones, *gradus* & *temporis*, adeoque & *ordinis*, peculiari commensuratione instruendi & exercendi. Qua in re exquisitissime effulget, differentia illa *Mechanicismi*, quatenus aut, verius & specialius, occupatur circa proportionem mobilitatis, & actualis motionis: aut (possemus dicere confusius, dicemus) generalius prædicatur etiam de affectionibus *materiae* verè intrinsicis, seu stricto sensu *essentialibus*, *magnitudine*, & *figura*. Qualium posteriorum rerum, similitudo, nedum ulla identitas, cum nullo modo cadat in *morales* actus animæ; minime propterea etiam, pariter evidentes, intimas, & quasi infixas, ulla in hanc efficit impressiones. Dum utique in actiones animæ non cadit, *mensurative*; *magnum* aut *parvum*,  
aut



aut quæcunque *figura*, univoce dicta. Maxime vero, & profusus univoce, *celer*, *promptum*, *expeditum*, *propere* atque *prosperè succedens*; *Ordo ad finem commode* atque recte *proportionatus*: Et *Rythmus* etiam atque *commensuratio temporis*, peculiaris; sive hic demum etiam ipse *substrata rei necessitati* immediate *superstructus* sit; (quod quidem in *administratio- ne corporæarum proportionum* observatur:) sive *arbitrarius* magis, *instruatur* aut *retineatur*, id quod in *assuetudinibus*, & ipsa hac, e *corporis administratione* *transumpta*, usu venit.

Th. XXX.

Ita quidem puto, satis perspeximus, quomodo *animus*, ex illa *proportione*, quæ *corporis* motibus exercendis *necessaria* est, secundum *diversas aliquas ejus varietates*, *transumat* tanquam *imitandam*, *parem proportionem*, pro suis motibus *circa illas res*, quibus hæc talis *proportio*, ne quidem *ulla*, *ne- dum eadem ratione*, uti *corporeis illis*, *necessaria* est. E qua itaque *consideratione* tanto *melius dilucescit*, quomodo in hoc *objecto*, *animus* *revera simpliciter sequatur*, nempe *imiteatur*, *modulum illum*, quem in *corporis sui administratione* *perpetuo exercendum*, ita, *indefinente usu*, *firmissime consuescit*. Est *operæ pretium* etiam *intueri reciprocam* illam *possestatem*, & *actualem efficaciam*, etiam *animi in corporales motus*, quæ sub *ANIMI P A T H E M A T U M* nomine, *passim sese* *exerit*.

Th. XXXI.

*Proportionem* illam, quam (non *corpus*, quomodocunque *materialiter* *consideratur*, ut in *presenti sua constitutione*, sed *unice*) *conservatio* *corporis*, *finaliter*, & ut *res de tempore in tempus futura*, *postulat*; sed & *perpetuo & indefinenter*, eadem *constantia & æqualitate continuandam*, *postulat*: Hanc, inquam, *proportionem motionis*, tanquam *medii*, ad illam *conservationem*, *unici*, e *longa illa perenni* *con-*

E

ti-



tinuatione, ita condiscit, eique adulescit, *Anima*, ut eandem etiam (præter evidentem aliquam, nedum exquisitam, *necessitatem*, & satis sæpe non sine alieniore aliqua, ad varios ejus temporis *finis* aptitudine,) tanquam perennem atque statam, pro omnibus suis *actionibus* atque conaminibus, impofterum quasi perpetuo ob oculos positam habeat, eamque constanter sequatur, & ubivis tanquam tenaciter retineat & *imicetur*: Aliquando tandem *invertit* etiam ita hunc ordinem, ut e converso, quicquid tunc ipsa, tanquam *necessarium* sibi proposuit, illud in *corporalium* motuum modulum transferat. Quod vulgo efficaciam *animi Pathematicum* in corpus appellamus, quæ nemini hominum, quantum ad quotidiana exempla atque experimenta attinet, ignota est.

Th. XXXII.

Quamvis autem præsentis loci, & exquisiti nostri propositi ratio non postulet, ut de hoc negotio, tanquam ex professo, sermonem instituamus, non erit tamen etiam iniquum, illud ad minimum circumspectæ considerationi commendare, quod omnino etiam effectus illi, qui e dictis talibus *parbeticis* animi *ideis*, in *corpus* redundant, uti non æque ipsum corpus in *substantia* sua, sed *motus* in corpore, unice concernunt & efficiunt; ita etiam satis exquisitè imitantur & sequuntur *ideam* illam *intentionalem*, quam animus, in illo Pathemate, sibi propositam atque præfixam habet: Si vel maxime etiam non æque semper ita plane distincto conceptu, seu plena ordinata cogitatione. Cujus rei manifestum exemplum est in *Nausea*; ubi nempe tam distincta *speculativa* præfiguratio seu cogitatio, de difficultate, aut qualicunque adversitate, *deglutiendi*, (v. g. invento inter cibos pilo, aut conspecto lento mucò &c.) vix formatur: Et tamen interim vera ejusmodi *actio*, in *motu* corporis instituitur, qualis ad excutiendam iterum ejusmodi materiam, inservire valeret, & tali effectui, rationabili certitudine, omnino quadrare posset: Nempe



pe *torso* faucium vomibunda, tanquam ad aliquid e faucibus, Oesophago, quin ipso ventriculo iterum excutiendum aut exprimendum. E diverso, in *iracundia*, nota est utique vera animi *intentio*, quod repugnare, impugnare, expugnare, *fortius* propterea agere, & vires suas intendere, sibi proponat. Quam propterea ideam, insequuntur duæ res notissimæ, circa *motuum* corporalium mutationes, alias minus usitatas; *Una* perpetuo, adeoque etiam in corpore quantumlibet sano, nempe *fortior impulso* totius Motus sanguinis, unde *pulsus* statim intenditur, & sanguis liberius atque largius in totum habitum corporis impellitur, unde & calor, & color, sensibile aliquod incrementum sumunt. Alterum autem evenit in corpore, *molesta* aliqua re, aut dispositione alieniore jam affecto & obsesso; Ubi nempe ab illa animi *idea molesta* atque adversam aliquam rem, quacunque vi depellendi & expellendi, etiam ejusmodi *impulso* in ipsos *motus* corporales, ipso actu exercetur, ut rem illam, seu *molestam*, re ipsa severioribus motibus, *moliminibus*, inquam, & *contentionibus motoris*, actu oppugnare & expugnare tunc suscipiatur atque tenteretur: Id quod de *Nephritide calculosa*, de *Aribriicis* constitutionibus, de *Pleurhorica* conditione, *Erysipelacis* excretionibus jam adfectis, ne vulgo quidem ignotum est. Nulla dispari ratione, quam in ipsa etiam *morali* animi *idea* fieri atque exerceri solet; Ubi nempe *iracundia*, non simpliciter in unum illud objectum velut unice directam servat intentionem strenue & fortiter agendi, aut qualemcunque vim faciendi: sed omnino etiam passim, in alia quomodocunque *molesta*, occurrentia aut intercurrentia objecta, facile incurrit; Et hoc quidem tanto certius, quando in præcipuo illo suo objecto, *intentionem* suam ad lubitum exequi atque *satiare* non valet: Quod ipsum, intuitu commotionum illarum *corporearum* quoque vehementiorum, in res ipsi corpori jam *in-*  
ba-



*hærentes*, & non iniusta æstimatione ut *molestis* reputandas, ab *iracundia* incitatarum, tanto majorem considerationem meretur, dum hæ quoque commotiones nusquam certius sequuntur *iracundiam*, quam si illa in objecto suo directo, *intentionem* suam recte, & velut ad satietatem *exequi* non valuit, unde ejusmodi impetum in ipsam qualemcunque molestiam corpori suo hæctenus in hærentem, convertit, & vere *dirigit*.

## Th. XXXIII.

Quemadmodum autem ipsæ hujusmodi *pathetica* intentiones & commotiones animi, *transitoria* solum sunt; ita *transit* etiam vere, *prima* & magis directa illa *impressio*, quam in motuum *corporalium* ordinem atque typum, extra consuetum ordinem faciunt. Contrarium autem evenit utique, ex idea *statariorum perpetuorum* motuum, qui tam *Mechanicam*, quam *physico-moralem*, seu *finalem*, *necessitatem*, proportionis ita sequuntur & observant: siquidem hujus *perennem* continuationem, longe certius atque facilius utique *consuevit* anima, & tanquam *statum* quidquam atque *firmum*, sibi vere proponit, ut proinde longe magis consonum rationi deinde censeat, potius secundum talem *normam*, non solum ita perpetuo fati prospere succedentem, sed etiam *rationabili* veluti *necessitati* boni *eventus* respondentem, suas etiam operationes instruere, sed & hoc, tanquam perpetuum, paradigma ubi libet imitari.

## Th. XXXIV.

Quamvis autem operæ pretium non ducamus, *diversis*, imo *adversis*, qualibuscunque opinionibus, de *Fundamento morum animi e temperie corporis*, aliquid opponere: *Libertatem* tamen etiam nobis ducimus, brevibus, quantum fieri pot-



potest, solum indicare, quam dispar utique subfit ratio, inter illam sententiam, quam nos hucusque professi sumus, & alias, quæ fundamentum suum collocant, in humorum propria *substantia*, sine respectu habitus illorum ad *progressivum motum*, tanto minus autem sine respectu habitus *materialium* ad humores, ut *progressive movendos*. Cum enim talia sentientes, non solum per aliam, ipsam quoque adhuc propriis difficultatibus laborantem, *mediationem* procedere suscipiant; nempe quod *particula* certæ, in humoribus obvia, peculiarem quasi *modulum* atque modum objiciant *spirituum* motui: qui tunc demum ita redundet in *animam*, ut illa non plenum, sed ita specificè *restrictum*, jus in *Spiritus* habeat, seu ita conditionatum solum *obsequium* spirituum assequatur atque impetret: sed etiam hoc ipso, nec in animum admittant, neque adhuc minus æstiment *decenter*, præcipuum quasi *nervum ides* illius, quam *animus* in his negotiis concipit; qui nempe proprie in eo consistit, quod *anima* non tam in ipso *actu* seu executione solum propositorum suorum, qualescunque illos *typos* observare & sequi, ex horum sententia, quasi cogatur, sed revera potius quam maxime de rebus adhuc *futuris*, dico *instruendis* demum & *adornandis* suis actionibus, ita vere *intentionaliter* ideas tales formet: Et quidem etiam circa res subinde mere *intentionales*, *cogitationem*, *comparationem*, *subsumtionem*, *collektionem*, *conclusiones*, *judicium ipsum*, *intellectum* etiam circa res *abstractas* & *morales*, imo circa ipsam *voluntatem* ut de rebus *moralibus*, *bonis* aut *malis* æstimandis nobis quidem nusquam perspicuum evadit, qua usquam ratione, quæcunque tandem *reactio* inter *materiale* habitum humorum, aut *particularum* in iisdem, tale quid, in pure *intentionales* æstimationes, aut intentiones seu *destinationes animi*, inferre valeat, si vel maxime *spiritus* existerent, & ab *humoribus* vere affici & alterari possent.



Ad summum autem, rediret tandem totum negotium ad idem illud *fundamentum*, quod nos constituimus & sub-  
sternimus, quod nempe e *motuum maxime idea*, quæ ab hu-  
moribus in *spiritus* redundaret, in *animum* quoque talis *idea*  
redundare deberet, secundum quam illa deinde suos actus  
veluti limitet, aut potius istam *imitetur*. Cum autem ad  
minimum tres insignes difficultates subsint, quæ totam hanc  
rem in dubium iustissimum adducant; nostra vero senten-  
tia manifesto *certis*, & absolute *indubis*, rebus innitatur:  
Arbitramur certe consultius, nos huic insistere, eamque omni  
modo tenere atque tueri. Ne autem gratis tale quid dicere  
videamur, nominabimus dictas illas difficultates, quæ sunt 1)  
quod vera talis *existentia*, qualem ista sententia supponit,  
talismodi *particularum* in humoribus, ipsa adhuc dubia ha-  
beri mereatur: 2) Quod *existentia* æque, atque *usus*, *spiritu-*  
*antum*, tanto magis autem qualiscunque actio eorundem in  
*animam cogitantem*, nempe absolute *imaterialem*, per vim  
classici canonis, nullum locum habere posset, adeoque cum  
*prioribus duabus* conditionibus, adhuc tanto magis in dubio  
manet. 3) Quod manifesto hic *inversio* illa & *ὄσπερ πρῶτον*  
*εἶπε* admittatur, (quod quidem etiam solenne esse solet tali-  
bus,) ut motus sanguinis *intestinus*, sub quo demum illa *par-*  
*ticula* tales effectus ipsis assignatos edere deberent, *propo-*  
*natur* motui *locali* seu *progressivo*; a quo tamen iste demum  
revera in actum deducitur, & in qualicunque sui activitate  
*conservatur*. Quod tamen cum omnino ita se habeat, quod  
nempe motus *intestinus* dependeat solum a *locali*, adeoque  
hic *tempore* & *ordine* prior esse debeat; Sero certe obtinge-  
ret qualiscunque talis supposita efficacia istis *particulis*, dum  
jam præcedens *localis* motus, certissimas, & longe potentio-  
res tales *proportiones* mensuræ motoriz omnino inferat at-  
que præsupponat.



Quæ nempe est evidens illa utique certitudo, quam nostræ thesi asseruimus. Videlicet, quod motus humorum *progressivus*, non solum certo fiat; sed etiam *mechanica* certitudinis, imo *necessitatis*, rationem atque proportionem supponat, inter *consistentiam* humorum in ordine ad *progressum* localem, & *capacitatem* meatuum, per quos progressus atque transitus fieri debeat: Et quod secundum talem *proportionem*, certo etiam motus *impulsorius* ordinari; & tanquam ad talem *normam* aptari atque instrui debeat: Imo certissima pariter subsit, *similis* harum rerum inter se *proportioni* *æstimatio* futuri eventus, seu *impetrationis* propositi *finis*. Quarum rerum totus complexus demum, veram etiam *intelligibilem* *ideam* præbeat, quam proinde *anima* comprehendere, commeminisse, & motionibus etiam suis *moralibus*, tanquam *normam* aliquam, *imitari* possit: quando nempe *media*, ad aliquem *finem*, dirigere atque regere, sibi proponit.

Th. XXXVII.

Ut adeo e tot, constantibus omnino, declarationibus, atque firmis rationibus, earumque justis deductionibus, satis dilucescere confidamus, *fundamentalis* nostri *Theorematis* optime fundatam certitudinem, quod certi illi *mores*, qui certis differentiis *Temperamentorum* sic dictorum, certo respondent, ortum suum ducant a vera *Idea* *proportionis*, quæ *Phyfico-Mechanica* *necessitate* observanda venit, & diligenter exercenda, in tractando *impulsu*, pro humorum seu *masse sanguineæ*, perpetuo *progressu*, per *partes* solidas, præstando, & continuando. Qualem *Ideam*, tanquam hoc scopo *normam* perpetuam, sub aliqua *necessitate*, motus hos administrandi; Et quidem *perpetuo* & *indefinenter*, ita & *non aliter*, administrandi: *Anima* tale corpus *actuans*, ita magis  
ma-



magisque *condiscit*, eique seu absoluta quadam ratione *adsuefacti*, ut eandem, *Paradigmatis*, cujusdam instar, imposte-  
rum omnibus suis *actionibus* applicet atque adhibeat: Etiam  
illis, quæ tali methodo atque *proportione* nequaquam opus  
haberent, imo *æqualiter*, & velut *indifferenter omnibus*. Quod  
ipsum tanto manifestius indicium esse potest, quod talem  
*modulum*, non ulla exquisita *necessitate a posteriori*, nempe ut  
substrata *materia* seu objecto suo præfenti, vere *necessariam*,  
sequatur: Sed magis ut *a priori*, undecumque tandem conce-  
ptam & consuetam, posthac tanquam generalem & vere com-  
munem, *regulam*, in omnibus suis negotiis indifferenter,  
observeat atque sectetur.

Th. XXXIIX.

Restat parum adhuc dicere, de *Adscitiis motibus*; quod  
tamen omnino faciemus, sine prolixitate æque, atque etiam  
sine quacunque nobis incumbentis officii aut justæ necessi-  
tatis ambitione. *Adscitiis* mores sunt vel cito & *repen-  
te*, vel tardius & *successive*, *adsuefacti*. Priores, licet  
pertinacissime adhæreant, & difficillime ulla arte eradicen-  
tur, imo vel solum mitescant atque temperentur, versantur  
tamen communius circa objecta, non communia aut *gene-  
ralia*, sed potius *specialissima*, imo sæpenumero plane *sin-  
gularia*. Tales sunt motus illi *pathetici*, imprimis in *aver-  
sione*, aut metu, sese exerentes; occultius autem circa *cupi-  
ditates* aliquas certas occupati, quos a *matrum* impressi-  
onibus, tempore *graviditatis* factibus conciliari, quotidianis  
exemplis notum est. Quibus vestigia legunt illi, qui ab *he-  
reditaria* communicatione, etiam a Patre in prolem aliquan-  
do transmittuntur. Communiter tamen multo occultius sese  
gerentes, quam antedicti: Interim horum etiam talium est  
omnino longe constantior atque contumacior adhæsi-  
o, quam  
nunc dicendorum, nempe illorum, qui per occasiones *vita*  
gene-



generis, & civilis conversationis; animo *adsuefunt*. Ubi nempe etiam illis, v. g. qui ceteroquin perpetuam & infamam aliquam *meticulositatem*, non perferunt, nihilominus e diuturnis, imo etiam aliquando *repentinis, atrocibus, infortunis & angoribus, periculis, inopis, violentis necessitatibus, &c. metuere, diffidere, terri,* adsuefit. Aut contra, e fortunæ favoribus, *securitatis, abundantie, voluptatis, copia* obtingit; licet e *corporalibus* suis proportionibus, earumque respectibus, *diffidendi potius, timendi, agendi sese, curia indulgendi,* veriore aliquam causam atque rationem, communi more, haberent. De hujusmodi *adsuefuit* moribus, (sepositis tantisper illis, de quibus primo loco mentionem fecimus, *maius præsertim culpa innatis,*) tenendum tamen omnino est, & valet certissime, quod nostræ tractationis primariæ affectus tantundem, tam intercedant, quam prævaleant hisce talibus *adsuefuit* moribus, quantum solis lux nebulis atque nubibus. Adeo, ut quemadmodum sol tam diem efficit, non impediendo quantalibet nebula; & nubes inter, quoad ulla harum obtingunt intersticia, jubar suum fulgidum exeret: Tantundem etiam *radicati* illi mores, *perennium* corporalium motuum necessariæ proportioni innitentes, emicant, ex *adsuefuit* illis, qualemcunque contrariam rationem affectantibus. Unde potius passim agnoscere licet, ineptas veluti illas Antipraxes, quando extrinsecus *adsuefuit* illi mores, intermiscetur contrariæ dispositioni, seu potius *habicui, inharentium* illorum. Quæ ipsa res, cum prope modum in horas, ita evidentibus exemplis, notata potius, quam nota solum, sit, ut etiam ipsum Vulgus hominum, satis sæpe hoc animadvertat, non est propterea quod illi diutius immoremur.

Th. XXXIX.

Progredimur potius ad *Confectaria* aliqua, utilia, ex  
 F ipfis



ipsis his rebus elicienda, quæ *Ufus* quosdam hujus contemplationis præbere possint. Est autem primum horum illud, quod utique bona animadversio atque notitia, imo notatio, hujusmodi habituum *radicarorum*, aditum justum præbere possit, ad formandas melius *destinationes* certas subjectorum, certa aliqua tali ratione affectorum, ad certi etiam generis occupationes, *studia*, aut *officia*. Quantum hac in re indies aberretur, & qui inde, ingrati etiam sæpenumero, eventus, redundant, neminem poterit fallere, qui curiosius animum his rebus advertere, operæ pretium duxerit. Quod quidem evitandæ prolixitatis inconsultæ gratia, cujuslibet propriæ solertiæ commendamus.

## Th. XL.

*Medicum* autem *Usum*, habet hæc consideratio, aliquantulo equidem prolixior, sed qui imprimis *Ætiologis Pathologico-Pathognomonicis* insidit. Quando videlicet partim *dispositio* ad certos affectus præter naturam, partim *moruum* atque *morum* habitus sub ipsis *decursibus* morborum, secundum hanc normam æstimatur, & veluti exigitur. Ubi v. g. *Sanguineum*, (si abundantia suæ solum decentem rationem habet,) quam maxime sanæ, & quibuslibet morbis non tam temere obsequentis esse indolis, satis notum est: Ut etiam inde Vulgus hujusmodi homines, veluti *κατ' ἄξονα*, apprimè sanæ, non solum constitutionis, sed etiam dispositionis, nomine laudent: *Es sey ein recht gesunder Mann / sehr recht gesund und wohl aus*. Interim, utut ita in rebus satis planis constituti sint, iisque etiam tranquille & secure perfruantur; Tamen, si vel ipsi, e nimia *securitate*, in excessum, nempe *luxum*, defleant, aut quacunque de causa extrinsecus incidente, sanitas illorum insigniter perturbetur, aut confundatur, *abjecto* mox, & *anxie* dubio atque *iripido*, sunt *animo*: *sensationum* etiam vel solum *molestarum*, nedum



dum vere penetrantiorum, morbidarum, *anxie impatientes*: Unde etiam *motus* adversus morbum *dirigendor*, partim minus ordinate, tunc suscipi contingit: partim etiam ipsi hujusmodi animi defectus, & *voluntariorum* motuum malum Regimen, aliquid novarum turbarum objiciunt: Ut ita tandem illud Confectarium emergat, quod Vulgus ipsum ab experientia perspectum habet, & suis formulis exprimit, Wann einem so gesunden Menschen einst eine Krankheit zustoßten / so werde er gewiß recht krank / greiffe ihn sehr an / nehme ihn sehr mit / &c. Quamvis etiam illud, ab eadem experientia, si morbus tandem salutariter exeat, subjiciant, solche Personen erhohlen sich auch bald wieder. Quamvis revera sapissime etiam illud subsit, quod patiens reip̄sa adeo agerrime affectus non fuerit, quam per anxium illum suum fastidium, & impatientiam simul meticulofam, præ se tulit: Dann sie können sich trefflich übel gehabt / si quicquam severioris laboris incumbat, quod etiam coacti suscipere necesse habeant.

Th. XLI.

Sunt autem revera etiam magis dispositi ad materiam *dolorum*. *Cholerici* vero, semper *activioribus* etiam *corporeis* affectibus subjacent; & vero etiam uberiori proventu *bilis*: & *exuissionibus* impetuosioribus *secretoriis* & *excretoriis* tentandis prompti atque proni. Concurrunt tunc etiam habitus animi *impatiens*, *indignabundus*, facile *exacerbatus*, *adversativus*, in sua voluntate *obstinatus*. Unde variae depravationes a malo *Regimine*, tacite *indignationis* & *clandestinæ iracundiæ* patheticis effectibus in corpus humanum, seu potius *motuum* ejus vitalium ordinem. Unde tandem etiam quando res infeliciter succedit, *deliria* plus minus *furiosa* erumpunt, & violenta *motuum* tentamina, *convulsiones*. Quales excessus, ut aliquando vere summe laboran-



rantibus & afflictis rebus superveniunt ; Ita minime raro *patheticas* commotiones insecuti, pessundant demum affecti-ones illas corporis morbidas, quæ propria sua indole ad hu-  
jusmodi excessus non prolapsæ forent.

Th. XLII.

*Melancholici*, licet *timidiores* sint, in rebus corpus sui afficientibus, sunt tamen etiam *vigilantiores* atque *circumspecti-ores*, ad idoneas & convenientes *methodicas*, tam invenien-  
das, quam *placidius* in ipsum effectum deducendas. Un-  
de etiam *acribus*, *acutis* affectibus, ab *interna* aliqua sui præ-  
dispositione, minus patent, nedum ut *obnoxii* essent. In  
ipsis etiam morbis, licet *taciturni*, *meticulosi*, & plus mi-  
nus *trepidi* sint; servant tamen etiam illum modum, ut non  
facile *activa impatientie* aliquid tribuant: sed, quicquid mi-  
nus ordinate agunt, longe evidentius *trepidationi*, quam  
*impatientie violentie*, aut *temeritati*tribuendum compareat.  
Unde etiam tales præ reliquis, *ordinatius*, & si *metus*  
abesset, (*taciturnus* tamen magis & *fixus*, quam *vagus* &  
*querulus*, ) longe *tranquillius* morbis perfunguntur. In  
valde impeditis tamen rebus, dilabuntur tandem etiam in  
*deliras trepidationes*, & *convulsivos conatus*, tanquam *eluctandi*  
incumbens malum: Ea tamen differentia, qualis obser-  
vari potest inter intentiones & actiones *terrore* maxime *trepido*  
correptorum, & eripere se periculo contendentium;  
Et *ira* exacerbatorum, atque *activam vim* intentantium, imo  
exercentium.

Th. XLIII.

*Phlegmatici* uti languidissimis morbis, circa feri *Crasin*  
& *motum*, expositi sunt, ita servant etiam *languidum* in his  
morem, & observant eundem etiam *compare animi* habi-  
tu. Nempe vix *metuunt* ita magnopere, sed malunt *spera-*  
*re*: Nisi etiam per *nimiam securitatem*, *negligendo*, aliquid  
pe-



peculiaris incommodi subeant, aut ulterius morbos suos foveant, *positivis & activis*, ut a qualicunque *directione*, ejusdem *exasperationibus*, parum certe occasionis præbent. Interim fovet utique potius, usitatus ille *neglectior*, atque *lenior & lentior*, *typus* instruendarum in hoc habi tumotianum, *pertinaciam morborum*, cum iis *vegetior impulsus*, utut *proportionatus*, tam ad *correctionem*, quam *secreciones & tandem excretionem*, magis convenirent.

## Th. XLIV.

Potest autem ex hac contemplatione Medicus *Therapeuticus* revera desumere etiam *Prognosin* aliquam vere *Therapeuticam*, quid ab hujusmodi *animorum habitu*, in morbo, *diversæ constitutionis subjectis* eveniente, de *successu*, & per hunc etiam *tandem exitu*, *speclare aut metuere conveniat*, ab una *indole præ altera*? Quæ ipsa res etiam occasionem ipsi præbere potest, ad instituendas tempestivas idoneas *praoccupaciones*, *cautiones*, *manuductiones*, quasi, aut in viam *revocationes*. Ubi passim certo comparebit, longe evidentior hujusmodi *constitutionum influxus & ÷vgyica causalis*, ad mutandas, quadantenus variandas ad minimum *circumstantias aliquas*, & sic dictorum *symptomatum schemata* alteranda, quam ut triviali opinione assentiri justum aut æquum appariturum sit; quasi nempe ipse *morbus in se ita Polymorphus* sit, & ita aliterque sese gerat, aut exerat. Quod quidem merito observandum.

## Th. XLV.

Ita etiam denique *Usus Therapeuticus - Pharmaceuticum* habere potest hujus rei *consideratio*, eo respectu, ut tam *Therapia* quam *Pharmacia* quadantenus ex his *constitutionibus morum ad humorum motus*, gubernari possit. Dum utique *indolem*, *sponse* magis sua, & quidem ita *satis ordinare*, agere atque *procedere adsuëfactam*, temere im-



pellere, aut etiam non ita male agenti, obicem opponere, (quod in repressioibus *hæmorrhagarum* non inusitatum est,) inconsultum ducatur. Tanto magis autem, *per se* minus temperanti, *incontinenti*, *promptæ*, imo *temerariæ*, indoli tali, *stimulus* addere: ve etiam eandem ipsam, directe & impetuose reprimere velle, non in mentem admittatur. E quibus considerationibus facile est conjicere, quam parum sanæ rationi consonum esse possit, sine hujusmodi discretionem, tanquam pure *empiricum modulum*, promiscue, quibuslibet subiectis applicare. Siquidem hic proprie hæret fundamentum heteroclitarum operationum unius ejusdemque medicamenti, imprimis ad alterutrum extremum pertinentis, nempe vel *stimulationem*, vel *oppressionem*. Unde frustra deinde allegatur, *usitatus ordinarius effectus*, & quidem in usitata, tanquam omnibus promiscue quadrante, *dosi*, medicamenti; quando illud alieniori *subiecto*, & jam sub *extraordinaria commotione*, exhibitum, plurimum alieniores *effectus* post sese trahit, & culpa simpliciter in malignam *malitiam morbi*, ab inscitia administrationis Therapeutæ, devolvitur: patiente interim certo tertio, nempe ægro. Quæ res profecto prudentem considerationem meretur, sed etiam vix nisi a prudentibus expectandam, nedum exigendam.

Et ita quidem speramus, proposito nostro, quantum ad veras harum rerum constitutiones, contemplationes, explicationes & applicationes attinet, satisfecisse: Unde ulteriores, & imprimis singuliores hujus negotii enucleationes, curiosorum, & honesto otio compotum Clinicæ Præceptorum, & peritiæ sectatorum, commendamus. Nos vero Divinæ Clementiæ, etiam pro hac nobis præstita gratia, humillimas laudes, uti & reliquum nos nostraque omnia in mentem ejusdem benedictioni atque directioni, consecramus.

F I N I S.



\* \* \* \* \*


**N**echt beglückte Zeit! die mich nach  
Halle brachte/  
Als gleich mein werther Freund  
zu promoviren dachte:  
Weil nun bey **S**einem Glück ich stets er-  
freuet bin/  
So führe es **I**hn nunmehr auch bis nach  
**L**amenz hin.

Dieses feste mit Kuchen hinzu

**JOHANN ANDREAS MOELLER,**  
Hoyersw. Luf. LL. Stud.









Halle, Diss., 1710 S

ULB Halle  
003 768 961

3



TA 106


Mus. Stk. 13<sup>29</sup>











DEO TRINUNO AUSPICE!  
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# FUNDAMENTO MORALITATIS PER- SONALIS IN SANGVINE,

*QUAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIE, MARCHIONE BRANDEN-  
BURGICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI  
GUBERNATORE, RELIQUA,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

SUB PRÆSIDIO  
**DN. GEORGII ERNESTI STAHL,**  
MED. D. EJUSD. ET RER. NATUR. PROFESS. PUBL. ORDIN.  
ACAD. NAT. CUR. COLLEG. LONG. DIGN. FACULT. MEDIC. P. T.

DECANI SPECTATISSIMI,  
DN. PATRONI ET PROMOTORIS SUI, OMNI HONORIS  
*ac observantiae Cultu ac etatem devenerandi,*

## PRO DOCTORIS GRADU,

Summisque in MEDICINA HONORIBUS, Insignibus, ac Privile-  
giis rite & legitime consequendis,  
IN AUDITORIO MAJORI,

D. Julii MDCC X. horis ante & pomeridianis  
Publicæ Eruditorum ventilationi exponit

**M. Praugott DITTRICUS WAGNER,**

CAMERT. HEXAPOL. III. 2. 4. 12. 39

HALÆ MAGDEB. Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.